

N. 16. 78 L 1637 [52]

NATALEM
GYMNASII HALLENSIS
CLXXXII
PVBICE CELEBRANDVM
ANNO ET X 2315807
DIE QVO FRIDERICVS V
DANIAE ET NORVVEGIAE REX
HAFNIAE CORONABIT VR

H. E.

DIE XXVIII AVGUSTI CIC CC XXXXVII
PRAEMISSA COMMENTATIVNCVLA

DE

ΣΕΙΣΑΧΘΕΙΑΙ SOLONIS

INDICIT

IOANNES MICHAEL GASSER
RECTOR.

HALLAE MAGDEBURGICAE
LITTERIS EMANVELIS SCHNEIDERI ACADEM. TYPOGRAPH.



Kapsel 78 L 1637 [52]

AK

§. I.

Si, quanto ciuitas sapientia, liberalissimis studiis, nobilissimisque inventis et institutis ceteras olim nationes ac populos superauit; tanto illustriore fama et gloriæ merito adhuc celebratur et eternitati commendatur: dubitari profecto non potest, quin non omnis modo græcæ, sed orbis terrarum principatus deferendus sit rei Atheniensium publicæ; unde, CICERONE teste a), humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ atque in omnes terras distributæ sunt. Itaque mirum non est, in vna Athenarum vrbe eximie laudanda totam conspirasse antiquitatem b).

§. II.

Quem ad modum vero Athenæ non litterarum modo et eruditioris, sed belli etiam armorum gloria florueru: ita viris quoque adfluxere ciuilis doctrinæ regendæque ciuitatis peritissimis. In his præcipui sunt legum latores: quod nulla sine legibus ciuitas consistere potest. Et Atheniensium quidem ciuitatem, post leges a CERERE datas, vel a conditore potius ad Cererem relatas, primus instituit TRÍPTOLEMVS: quarum tres istas Eleusine sua ætate superfuisse testatur XENOCRATES apud PORPHYRIVM, Γονεῖς τιμῶν θεὰς καὶ πότις αγάλλεν· ζώα μὴ σθεδω: Parentes honorandos, deos fructibus colendos, animalia non lēdendū esse c). Quas siue vetustate obsoletas, siue regundas rei publicæ ciuiumque moribus formandis non sufficienes, DRACO postea instaurauit et auxit, tanta in iis scribendis vsus feueritate, ut illæ non hominis, sed draconis d), nec atramento, sed sanguine scriptæ esse dicerentur e): Huius igitur leges, quoniam videbantur impendio acerbiores, (vt cum GELLIO loquar f), non decreto iussoque, sed tacito illitteratoque Atheniensium consensu oblitteratae sunt. Factum hinc est, vt, quo grauior ante ex legibus Draconis metus erat: eo maior nunc ex impunitatis spe illecebra peccandi oriretur. Non enim pedetentim iam, sed præcipiti gradu transcursum est ad omne nefas. Quippe nemine rei publicæ nauim gubernante, omnia metuenda erant naufragia. Et perierat sane Atheniensium ciuitas, tot seditionum flibus

a) Orat. pro Flacco c. XXVI. XXVII.

b) Vid. IO. GOTHOFR. LAKEMACHERI antiquit. græc. sacrae, c. II. §. I. p. 38, 39, 40. HEYMANNI via ad histor. litter. c. IIII. §. VIII. add. IVSTIN. L. II. c. VI. et qui instar omnium est, JOANNES MEVRSIUS, in Fortuna Attica, Vol. V. Gronouiani thesauri antiquit. græc. inserta, p. 1682 sqq.

c) περὶ αὐτοῦ ἐπεύχεται, L. IIII. p. m. 431.

d) apud ARISTOT. Rhetor. L. II. c. XXIII.

e) PLUTARCH. in Solone c. XXV. GELL. N. A. L. XI. c. XVIII.

f) I. c.

tibus iactata : nisi tandem ad SOLONIS sapientiam virtutemque,
tamquam ad sacram ancoram, configisset.

§. III.

Fuit SOLON ^g), si patriam, in qua natus est, spectes, Salaminius ; si parentes ac domicilium, Atheniensis : nobilitate generis vnum omnium maxime florens. Quippe paterno genere Codrum, materno Pisistratum contingebat ^h). Ingenium, quod a natura praestantissimum accepit, philosophia maxime excoluit: in qua tamen addiscenda ita versatus est, ut ad illam praecipue partem, qua prudentia civilis acquiritur, quamque politicam vocamus, animum applicaret. Tanto praeter ea discendi amore flagravit, ut quotidie aliquid addiscentem senescere se, non versibus modo testatus sit ⁱ), sed supremo etiam vita die confirmauerit: quum adidentibus amicis, et quadam de re sermonem inter se conferentibus, fatis iam pressum caput erigeret, interrogatusque, quapropter id fecisset, responderet: ut, quum istud, quidquid est, de quo iam disputatis, percepero, moriar ^k). Quamuis philosophus, quamuis ciuilibus etiam negotiis distentus esset: tamen in his maximis curis quum animum versibus condendis recitere studeret, illos tam multos, tam bonos, tam etiam, si vsus esset, incitatos scripsit, ut cum in certis illum sapientissimum fuisse, tum in carminibus poetarum generosissimum PLATO iudicet, addatque, si SOLON non tantum relaxandi animi gratia, sed dedita opera serioque, sicut alii, poesin esset secutus, nec HOMERO, nec HESIODO, nec alio quam poetarum extitutum fuisse inferiorem ^l). Neque SOLONIS elegias non laudant ARISTOTELES ^m), PAVSANIAS ⁿ), PLUTARCHVS ^o), DIOGENES LAERTIVS ^p): e quibus constat, eum versuum beneficio ad eam, quam post ea consecutus est, gloriam peruenisse.

§. III.

Recruderuerant illa tempestate veteres populi Atheniensis de re publica seditiones. Scilicet in tot factiones scissa erat omnis ciuitas, quot foli Attici incolarum erant genera: quorum qui in locis planis

(2)

g) Vid. MEVRSIUS in Solone: et in compendio BRUCKERVS in historia critica philosophiae, Tom. I. p. 442 sqq.

h) PLUTARCH. in Solone.

i) SOLONIS vox erat: Γηράκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος, h. c. discenti ad fiducia multa senecta venit. PLATO in Erastis p. m. 236.

k) VALER. MAX. L. VIII. c. VII. ext. 14.

l) PLATO in Timo, p. m. 474. post med.

m) tum in Rhetorice L. I. c. XV. n. 18, tum alibi.

n) in Atticis, p. m. 38. n. 37.

o) in Solone. p) L. I. c. II. n. II. 46 sqq.



nis et campestribus habitabant, πεδιῶν, qui montana incolebant,
διέργοις q), qui denique maritima tenebant, παραλίαις vocabantur r).
Illi paucorum principatum enixe flagitabant: isti popularem statum
preferabant: hi medium quamdam et mixtam rei publicae formam
probabant s). Accedebant Ἐπηρόγοις, a sexta fructuum parte, di-
vitibus soluenda, dicti: qui proinde aut seruiebant in agris colendis,
aut corporibus oppigneratis nexum inabant, abducebanturque, vt
vel in patria seruirent creditoribus, vel in alias terras deportati ven-
derentur, omnibusque modis vexarentur. Hi sibi partium suarum
ducem quærebant, qui æquis partibus agrum diuideret, omninoque
rem publicam immutaret t).

§. V.

Quæ mala omnia quum ad perniciem ciuitatis valere cernerent
homines fani ac prudentes: in vno SOLONE communis salutis
et incolumentis suæ perfugium quæsierunt; quando quidem hunc
nec potentiae et diuitiis obnoxium, nec egestati suspectum esse cer-
to sciebant. Et erat prefecto in SOLONE singularis innocentia,
inusitata omnibus in rebus temperantia, incredibilis fides, maxima
facilitas, eximia prudentia, mira humanitas, atque, vt paucis dicam,
summa omnia. Igitur hunc ad fulcendam rem publicam, hunc ad pa-
cem concordiamque conciliandam deposcebat atque expetebant.
Ergo omnium consensu rerum summa ad SOLONEM defertur:
quem vnum omnium iustissimum, æquissimum, prudentissimum
que constabat. Sed recusauit regnum, a quo semper animus eius
maxime abhorruit: caussam interponens, quod locus quidem pulcher
esser tyrannis, exitum autem nullum haberet. Quapropter irrisus
multis, et stultitiae accusatus, quod rem inter deos hominesque pul-
cherrimam, multorum precibus, largitionibus et muneribus, vitæ
etiam periculo et armis expertam, sperneret: ita respondit, vt adpar-
eret, maluisse se amentem et rationis expertem videri, quam tyran-
nidem in ciues suos exercere u). Ne tamen omnino patriæ suæ de-
esse videretur: necessitatibus paruit tandem, atque Archontem creari
se passus est. Quo in munere ita se gessit, vt diuersarum partium
nulli se admiscens, sed omnibus æqualiter se impertiens, summis
pariter atque infimis carus, pacisque et concordiae auctor fuerit x).

§. VI.

q) HERODOTVS ὑπεράχεις vocat L. I.

r) PLUTARCH. in politicis, p. 805. D. Conf. CAROL. SIGONIVS de re publ.
Atheniensium L. I. c. II. in Gronou. thesauro Vol. V. p. 1514 C.

s) PLUTARCH. in Solone.

t) IDEM ibid. add. CAROL. SIGON. de re publ. Atheniens. L. I. c. V. p. 1525 E sq.

u) PLUTARCH. l. c. x) PLATU in polit. p. 805.

§. VI.

SOLON igitur quum primum animum ad ordinandam rem publicam adpulit: id sibi negotii credidit in primis datum esse , vt populo in classes distributo iudicia constitueret, et omnia, quae discordis dilapsa iam fluxerant, optimis legibus, quas quidem admitterent Athenienses, vinciret. Ea quod et plebi et optimatibus viles, æquandæque libertatis erant, tam inclite fuere , vt legatos Athenas mitterent Romani, cordatissimi mortales, qui istas leges describerent y), suæque ciuitati attemperarent z).

§. VII.

Legum , quas tulit , prima, eaque celeberrima fuit σεισάχθεια : qua as alienum omne remisit debitoribus. Est autem σεισάχθεια vox plane Attica, quasi σείτις τοῦ ἄχθες, excussio oneris : id quod confirmat HESYCHIUS ; zz) qui simul clarioribus verbis vocem paullo obscuriorum explicat. Σόλων , inquit , χρεῶν ἀποκοπὴν δημοσιῶν καὶ ἴδαικῶν ἐνομάθεισεν, ἥντες σεισάχθειαν ἐκάλεσε, πα-εὶ γὰρ ἡ αἰποτεταῖδη Τὸν βάρην Τὸν δανελον. Quum enim lex ista habere aliquid iniqui videri posset : callide σεισάχθεια vocabulo ambi-guo et molliori vsus est legislator, quo tum patriciis , tum plebe-iis securius imponeret: prudentes imitatus medicos, qui cruda ad-huc vulnera molliore et quasi suspensa manu tractant, donec for-tius tangi adsuescant, ipsumque adeo ferrum non reformident. Id-que adeo manifestum est , vt σεισάχθεια nomen ad leniendam de-creti excogitati inuidiam inuentum aperte σόφισμα adpellet PLV-TARCHVS , et ὑποκόρισμα. Ita enim is in Solone , Πρῶτον , inquit, Σόλωνος ἦν, ὡς ἔστι, σόφισμα, ἵν τῶν χρεῶν ἀποκοπὴν σεισάχθειαν ὀνομάτειος: et in Politicis aa): Τέλο δὲ ἦν ὑποκόρισμα χρεῶν ἀποκο-πῆς. IDEM Phanius Lesvium tradidisse adfirmat, SOLONEM, vt rempublicam feruaret, circumuenta parte vtraque distributionem agrorum clani egenis, ac paectorum confirmationem diuitibus ostendisse, verum ipsum primum inuadere rem publicam detrectasse: quum illorum auaritiam, horum autem insolentiam vereretur bb).

§. VIII.

Ceterum ex iis , que modo diximus, constat, quod Atticis σει-σάχθεια , idem communis Græcorum adpellatione χρεῶν αποκοπὴν , h. e. resectionem et expunctionem debitorum, vocatum esse cc). Si- milis

) 3

y) LIV. L. III. c. XXXI.

z) Conf. ANTONII THYSII collatio legum Arheniensium et romanarum, in Grou-nou. thesauro græc. antiquit. Vol. V. p. 1374 sqq.

zz) Voc. Σεισάχθεια. aa) p. 807. bb) MEVRSIUS in Solone , c. X.

cc) Vid. præter auctores iam laudatos, ANDOCID. orat. I. de mysteriis , p. m. 216 init. Mœris Atticista: σεισάχθειαν Ἀττικῶς χρεῶν αποκοπὴν, Ἑλλησι.

milis huic erat χρεωνοπίτια, sed non prorsus eadem: quod χρεῶν ἀποκοτῆνι publicum aliquid erat; χρεωνοπίτια vero vniuers etiam priuatum esse poterat. Vnde Chreocopide, (mordaci cauillatione, nomine sic inflexo, vt Cecropide, a CECROPE Athenarum conditore,) i. e. aeris alieni expilatores, vel creditorum fraudatores adpellati sunt illi SOLONIS amici, qui consilii eius participes ab ipso facti, ante promulgatam τεισάχθειαν prædia coemerunt, ac deinde promulgata fundos possederunt, ære alieno lege liberati (dd). PFEIFFERO quidem in *Antiquitatibus Gracis* videtur a χρεῶν αποκοτῆν diuersa esse χρεωνοπίτια: quam proinde interpretatur exactionem (scil. aeris alieni), SVIDAM secutus maxime, qui, χρεωνοπεῖται, inquit, idem est, atque ὑπὸ χρεῶν ἐνοχλεῖται, h. e. debitibus infestatur. Mutabatur autem (pergit PFEIFFERVS) haec χρεωνοπίτιa a SOLONE in χρεῶν αποκοτῆν, quam adpellavit τεισάχθειαν ee). AT HENRICVS STEPHANVS merito huius significationis exemplum desiderat ff).

§. VIII.

Similis olim lex apud Aegyptios fuit: vnde SOLONEM suam deriuasse coniicit DIODORVS SICVLVS gg). Dum enim de Aegyptiorum legibus agit: τεισάχθειας quoque SOLONIS mentionem facit. Audiamus ipsum DIODORVM: „Et vsuras, inquit, de fas, cultatibus dumtaxat obæratorum exigere, sed in nexum corpus du, cere nullo modo permittebat: bona illorum arbitratus esse, qui vel labore comparassent, vel dono accepissent ab eo, qui dominus erat: sed corpora ciuitatibus deberi, quibus ad debita belli pacisque munia vtantur. Absurdum enim esse, militem, qui pro patria fese periculis obiciat, (si vsus fit), a creditore propter feirus nexus abduci, et ob priuatorum auaritiam, communem omnium salutem in discrimen adduci. Videtur vero et hanc legem Athenis SOLON inuexisse, Sisachthie nomine ab ipso vocitatum: qua ciues vniuersos ab ære alieno, in corporis nexum credito, liberauit,. Siue autem ab Aegyptiis legem suam acceptit, siue suopte ingenio excogitauit SOLON: illud minime dubium est, quin τεισάχθεια; beneficio aeris alieni remissio fuerit inducta.

§. X.

Illud potius queramus adhuc, utrum omnia in vniuersum debita expuncta sint, an saluo capite vsuræ tantum interierint, an denique damna creditoribus illata aliis commodis pensata sint? Sunt fane, qui putent, fenoris dumtaxat diminutione, nec ex toto quidem, sed

ex

dd) PLUTARCH. I. C. POSTELLVS de magistris Atheniens. p. 19.

ee) Lib. II. c. XXXVII. p. 304.

ff) In thesauro l. gr. tom. III. p. 583.

gg) Bibliothec. L. I.

ex parte , pauperes subleuatos esse ; id quod HESYCHIVS indicare videtur , qui σεισάχθειαν dictam esse vult παρὰ τὸ ἀποσταθμα τὰ βαῖην τῶν δανελῶν , ab onere usurarum sublato : sunt etiam , qui obligationes omnes abolitas esse existimant : postremo sunt alii , qui aucto pecuniae signatae pretio tantum creditoribus acreuisse arbitrentur , quantum debtoribus decreuerit : mina enim quum antea LXXXIII drachmas pretio aequasset , fecisse lege lata SOLONEM , vt C valeret ; vt , quum numerus idem , pretium tamen minus persolueretur , et hi magnum commodum sentirent , qui soluerent , et qui acciperent , nihil damni inde haberent hh). At neutra ratio POSTELLO videtur per se sine altera tolerabilis . Fuisset enim , inquit , χρεωνοῦν creditoribus tam ingratia , quam grata et optanda pauperibus : unde illud non exstingue , sed alere incendium fuisse . Incrementum vero minarum (lege , drachmarum) adiectionarum non potuisset satis esse tenuioribus ad persoluendum . Vnde utrumque una instituisse , credi par est , vt diuitibus cresceret , quod a pauperibus recuperare per legem non poterant ii) . Evidem ego illis potius accedo , qui per σεισάχθειαν non usuras tantum , aut aliquam istarum partem , sed debita omnia esse abolita existimant . Namque primum Chreocopide (§. VIII.) lege SOLONIS lata omne æs alienum debere desierunt : deinde credibile non est , tam furiosam plebis feditionem usurarum remissione aut moderatione sedari potuisse : porro ipsum SOLONIS factum comprobare videtur , qui , quod sibi debebatur , vniuersum remisit . Præter ea quum ne sic quidem plebs satis pacata esse videretur , vt pote agrorum insuper aequalinem flagitans : quid futurum fuisse ? si tantulum ex usuris detracatum fuisse ? Denique quis nescit , tabulas Romanorum nouas (quæ quid sunt aliud , quam σεισάχθεια SOLONIS ?) ad æs alienum omne tollendum spectasse ? Tabula nouæ , CICERO ait , quid habent argumenti , nisi ut emas mea pecunia fundum : eum tu habeas , ego non habeam pecuniam kk) ? Fac etiam , hanc SOLONIS constitutionem opulentioribus ac feneratoribus ingratam fuisse futuram , vt fuit : quid postea ? Plebis potentia optimatibus formidolosa : necessitatì parendum erat . Plebs enim vere bellua est multorum capitum .

§. XI.

SOLON vt et aduersariorum calumniam effugeret , et ipso facto legem suam commendaret : debita sibi ex patrimonio suo secundum PLVTARCHVM talenta quinque , secundum LAERTIVM septem , secundum POLYZELVM quindecim , vel secundum POSTEL-

LVM

hh) PLVTARCH , in Solone .

ii) POSTELLVS l. c. p. 19 , 20 .

kk) Offic. L. II. c. XXIIIL

LVM sex talenta aurea, II) primus ipse publice donauit; ac reliquos, idem vt facerent, exemplo suo prouocauit. Tamen ne sic quidem satis fecit omnibus: quippe diuites tantum pecuniarum fibi eruptum indignabantur, pauperes autem Attici agri diuisionem mcre Laconico exspectauerant. Tandem vbi intellexerunt, salutem publicam aliter constare non posse: conuerso in gratiam odio, facioe sacrificio, et ipso σειραχθεία adpellato, legem acceperunt.

Verum de *Sisachria SOLONIS* haec tenus: ad illud iam venidum est, quod proprie est mearum partium. Nimirum quod felix faustumque sit, crastino die NATALEM GYMNASII HALLENSIS CLXXXII publice priuatimque, et precibus et declamationibus more consueto celebrabimus. Quam ob rem tum primi, tum secundi ordinis ciues quinque ad dicendum surgent, quorum

WILHELMVS AVGVSTVS TRAVGOTT ROTHE, Erfordiensis, ord. I. *contentae pecuniae exempla* ex antiquitate producit, oratione germanica.

HENRICVS IACOBVS CHRISTOPHORVS BRÜCKNER, indidem Erfordia, ord. I. *legem paupertatis, quam Lycurgus sanxit*, laudabit, oratione latina.

IOANNES AVGVSTVS FRIDERICVS GASSER, Calbensis, ord. II. *Fabricium cum Pyrrho colloquente, summe abstinentiae exemplum*, inducet, oratione latina.

CAROLVS FRIDERICVS PACKBVSCH, Halensis, ord. II. *Cræsi et Solonis de beata vita colloquium recitatib*, oratione latina, denique

HENRICVS WILHELMVS CHRISTINNECKE, Halensis, ord. I. *infelicitatem Cræsi in summa felicitate ostendet, versibus germanicis.*

Cui follemnitati vt Musarum nostrarum patroni ac ceteri huius urbis proceres et litterati, quibus commodum est, et per grauiora negotia licet, crastina luce hora a meridie II frequentes in auditorio maiori intersint, eamque præsentia sua honorifica et attentione beneuola splendidiorem illustrioremque reddant, ac denique studio suo ac fauore studium discipulorum nostrorum prouocent, summa contentione petimus.

II) I. c. p. 20.

P. P. A. D. XXVII Augusti, cIɔ Iɔccxxxxvii.



Nr. 78 L 1637 [52]



NATALEM GYMNASII HALLENSIS CL XXXXII

PUBLICE CELEBRANDVM

ANNO ET

X 2315807

DIE QVO FRIDERICVS V DANIAE ET NORVVEGIAE REX HAFNIAE CORONABIT VR

H. E.

DIE XXVIII AVGUSTI CC CL XXXVII

PRAEMISSA COMMENTATIVNCVLA

DE

ΣΕΙΣΑΧΘΕΙΑΙ SOLONIS

INDICIT

IOANNES MICHAEL GASSER
RECTOR.

HALLAE MAGDEBURGICAE

LITTERIS EMANVELIS SCHNEIDERI ACADEM. TYPOGRAPH.



Kapsel 78 L 1637 [52]

AK

